

Princeps, totius negotii est Satan, antiquus ille serpens, inter quem, & Christum, ab ipso Deo inimicitiae positae sunt, statim in paradiso, Gen. 3. Hic itaque, cum à Christo, femine mulieris, capitis, & regni sui contritionem & diminutionem metueret, cumque ipsemet aperto congressu in eo habere nihil posset, per ministros suos eum atterere, & è medio tollere est conatus. Luc. 22.3.

Ministri Satanæ fuerunt, 1. Pontifices & Scribæ, consultantes, quomodo occidant Christum, sed sine tumultu.

2. Judas apostata, Diaboli suggestionem, itemque odio & auaritia eò seductus, ut Christum, Dominum, & Magistrum suum infensissimis hostibus ipsius tradere, in animum scelestum non solum induxerit, sed & de scelere perficiendo, operam suam proditoriam, pecuniâ acceptâ, ultro hostibus obtulerit.

Verba clara sunt, nec longiore explicatione opus habent. E quibus sequentes duas doctrinas nunc obseruabimus.

- I. *Quae causae fuerint, ob quas Christus toties passionem suam praedixit.*
- II. *Picturam impii huius concilii intuebimur, ut technas, & stratagemata, quibus in opprimenda veritate Satanæ utitur, simulque ingenium eorum, qui à veritate Evangelica alieni, & humanis traditionibus addicti sunt, eo melius cognoscamus.*

DE I.

Quantum ad primum, nulli in Evangelicis historiis vel mediocriter versato, obscurum esse potest, sæpè Christum tum coram discipulis suis priuatim, tum coram omnibus suis auditoribus publicè, nunc clarius, nunc obscurius de passione sua praedixisse. vide Matth. 10.38. item, cap. 16.21. &c. & cap. 17.22.23. & cap. 20.17.28. Luc. 18.31. &c. At quæ huius tam crebro repetitæ praedictionis causæ?

Principio, etsi ut homo mortem horruit Christus, quoniam cum sensu iræ Dei fuit coniuncta, eamque pro nobis gustari debebat, ut suo loco videbimus; tamen non ex metu, aut pusillanimitate

mitate